



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 137. Connubium Ducissæ cum Maximiliano Archi-Duce conciliatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. Principem recusantibus, cujus ditioes
A.C. 1477. ipsis vicinæ essent. Quapropter Dux il-
 le, qui nonnisi duorum annorum æta-
 te Mariam superabat, a nuptiis arceba-
 tur, partim Gandavensium repugnantia,
 partim propria Ducissæ in eum aver-
 sione. Aliunde vero omnibus explora-
 tum erat, Ludovicum XI. matrimonio
 cum Engolismensi Comite constanter ob-
 luctaturum, eo quod vereretur, ne si tam
 ampla bonorum successio ad Principem
 regio sanguine ortum devolveretur, po-
 tentissimum sibi hostem accerseret.

§. CXXXVII.

*Connubium Ducissæ cum Maximiliano
 Archi-Duce conciliatum.*

Supererat Maximilianus, Princeps nec-
 dum vigesimum primum ætatis an-
 num egressus, mira formæ dignitate præ-
 stans, atque ingenii acie haud parce præ-
 ditus, cetera laudatissimus, nisi quis ei
 aliquanto vehementiorem venandi cupi-
 ditatem vitio vertat. Præterea spem ha-
 bebat succedendi in Imperio; cum u-
 nicus Cæsaris Filius esset. Pater ejus
 Princeps sui ævi avaritia ac inertia ne-
 mini secundus (*) Maximilianum pro-
 prio

(*) *Insulse Continuator ejusmodi calumniam
 Impera-*

prio ipsius arbitrio reliquit, unice ut sum-
 ptibus in Gubernatoris, atque Magistri
 stipendia erogandis parceret; quocirca
 haud aliis excultus erat scientiis, ac virtu-
 tibus, quam quas largiter naturæ be-
 neficio sibi suppeditatas habebat, bona
 indole clarus, ac tanta sobrietate emi-
 nens, ut ceteros Germaniæ Principes
 longe antecelleret. Igitur harum dotum
 suffragio inter omnes unus dignior e-
 rat Ducissæ de Burgundia sponsum; jam-
 que faustis hisce nuptiis prælusit defun-
 cti Ducis consensus; hic enim eo tem-
 pore, quo de hoc connubio agebatur,
 Filiae suæ auctor erat, ut epistolam pro-
 pria manu exaratam Archi-Duci mitte-
 ret,

Sæcul. XV.
 A. C. 1477.

*Imperatori, ejusque Filio impingit; Si priva-
 tum adversus Augustissimam Domum Austria-
 eam odium fovit, certe dum Historicum agit, &
 quidem Ecclesiasticum Scriptorem, malevolen-
 tiæ suæ imperare debuisset, maxime, ubi ejus-
 modi convitia nec ad Historiæ seriem pertinent,
 nec veritati consona sunt. Omnium enim Hi-
 storiorum fide compertum est, Maximilianum
 Magistrorum suorum industria plurimis scien-
 tiis apprime excultum fuisse, ac septem omnino
 linguas perbene caluisse. Ergo nec Pater ava-
 ritia, nec Filius inscitia postulari potest Vide
 Palatium, & Kevenhüller in vita Friderici Impe-
 ratoris, & Maximiliani I. præter alios Austria-
 cæ Domus Annalistas.*

Sæcul. XV. ret, in qua eidem conubii sponsionem
A.C. 1477. faceret, inque nuptialis amoris pignus
 annulum aureum pretioso Adamante or-
 natum transmitteret.

§. CXXXVIII.

*Ducissa ab Imperatore per suos Le-
 gatos in Sponsam Filii sui
 petita.*

Commin. l. 6. Germani Proceres, cum Ludovicum XI.
t. 2. nuptiis Filii sui cum Ducissa oblu-
Gaguin. hist. tari comperissent, impense Maximilia-
Franc. l. 10. num hortantur, ut hujus repulsam oppor-
 tune in rem suam verteret. Quare Fri-
 dericus ejus Pater Legatos suos nulla
 mora decernit, qui Ducissam in filii sui
 Sponsam peterent. Jamjam iidem Le-
 gati Bruxellas intraverant, cum Cliviæ
 Dux nullum non moveret lapidem, ut eos
 a suscepti consilii executione deterre-
 ret. Ex adverso Ducissa defuncti Bur-
 gundiæ Ducis uxor, quæ Mechliniam
 secesserat, eosdem non solum verbis, sed
 tota negotii serie instruebat, omnique ope
 & opera instabat, ut iter suum profe-
 querentur, & nullius moræ dispendio
 Gandavum contenderent; ibi enim om-
 nia, ut honorifice exciperentur, optime
 disposita esse ajebat. His Ducissæ ver-
 bis animati tandem Gandavum salutant,
 non sine gravi Regis Ludovici mœrore,
 quem